



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 3. De Oceano Occidentali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

SERICI, vbi etiam ab Eoo distinguitur; sed fortè vt species à genere. Itaque pars Oceani Orientalis versus Boream dicta est *Oceanus Sericus*, pars Meridionalis nomen generis retinuit.

§. 2. De Oceano Australi.

GRÆCIS Νότιος nuncupatur & Μεσημβρινή θάλασσα, item & *Indicum Mare* à plerisque veterum; sed tum pars pro toto vsurpatur: nam diuiditur in mare *Indicum*, *Erythraeum*, & *Aethiopicum*.

INDICVM dicitur mare ad fauces vsque Sinus Persici, & nomen habet ab *Indis* populis, licèt & alias gentes Imperij Persici alluat.

ERYTHRÆVM mare, seu RVBRVM porrigitur à finibus *Carmanix*, ad *Frassum* vsque Promontorium, iuxta Ptolemæum, qui *Aethiopicum* non agnouit; meliùs ad *Aromata* pro. le *Cap de Guardafu*. Diuiditurque in tres partes apud Plinium lib. 6. cap. 24. in duas effusiones seu Sinus *Persicum*, & *Arabicum*, quem Eustathius *Aethiopicum* nominat, & mare vtrumque committens quod *Azanium* Oceanus dicitur, apud Scriptores vitæ Alexandri *Arabicus*. Quidam tamen existimant *Azanium* Oceanum complecti simul *Aethiopicum* & *Erythraeum*, quod non ausim improbare. Dicitur autem *Erythraeum* vel *Rubrum*: *Primò* à colore apparente qui à sole existit, vt vult Strabo; vel à reflexione montium combustorum vt credit Eustathius. *Secundò* à fonte miniato qui in hoc mare cadit; ita Ctesias Gnidius apud Strabonem. *Tertiò* ab *Erythra* homine Persa, cuius auspiciis in insulas huius maris Colonix deductæ sunt, sic Agatharcides. *Quartò* ab *Erythra* Persei filio qui in Ogyri insula regnavit, vt ait Plinius. *Quintò* ab arenis flauis; *Sextò* à pluuiis decurrentibus ex montibus quos adurit Sol; quarum opinio- num meminere Plinius, & Eustathius.

ÆTHIOPICVS cuius meminere Dionysius, & Solinus, apud quem tamen perperam nominatur *Ægyptius* cap. 26. pars νοτία θάλασσα ab Eustathio nuncupatur.

§. 3. De Oceano Occidentali.

DICITVR aliter *Atlanticus* ab Atlante monte Mauritanix:

Hæc tamen vox apud Tull. 7. de Rep. tribuitur toti *Oceano*. Item *Hesperius* ab Hespero Stella; unde & mare *Vespertinum* apud Martianum Capellam appellatur. Præterea *Magnum* apud Plinium lib. 3. cap. 5. Quod nomen sumitur quoque apud Ciceronem pro toto Oceano.

Iam verò limites eius statuuntur à Ptolemæo linea ducta ab *Artabro* Promontorio ad *Hiberniam*; nam quidquid ab hac lineâ in Orientem vergit tribuitur Oceano Boreali: quamquam Historici loquantur aliter, cùm Plutarchus in Cæsare *Gallicum fretum* in Atlantico collocet, & Zosimus tradat *Rhenum* in Atlanticum effundi.

CAPVT II.

De Oceano Boreali.

OCEANVS ab Artabro Prom. le Cap de Fine terre, ad Septentrionem diffusus aliquando *Borealis* sæpè *Septentrionalis*, nonnumquam *Arctous* nominatur. Quamquam *Arctoum Mare* maxime de eo dicatur quod Britannicis insulis circumfunditur, & *Britannicum* ferè dicitur. Itaque Oceanus Borealis rectè diuiditur in *Britannicum* seu *Arctoum*, & *Hyperboreum*, seu *Glaciale*, illud complectitur *Callaicum*, *Cantabricum*, *Gallicum*, *Verginium*, *Hibernicum*, *Deucaledonium*, *Britannicum* propriè dictum, *Germanicum*; hoc *Almachium*, *Chronium*, & *Pigrum*.

§. I. De mari Britannico, vel Arctoo.

CALLAICVS Oceanus nobis suggeritur à Plinio lib. 4. cap. 21. & 22. vbi perperam vocatur *Gallicus*, in vulgatis Codicibus; sed cùm certum sit apud Plinium *Gallicum*, non vltra *Pyrenæum* procedere, sequimur M. S. A *Callaicis*, vel *Gallecis* nomen habet, & ab *Artabro* Pro. ad *Scythicum*, aut paulò vltra promouetur.

CANTABRICVS reliquam Hispaniæ oram alluit ad *Pyrenæos* vsque montes. Ptolemæus tamen quia *Callaicum* omisit, huc ad *Artabrum* Promontorium promouet. At Marcianus Heracleotes capite *de his Isetis*, cum *Arctoum* de nomine communi dicit.